


Johann Sithmann Christan Sithmann

Disputatio Iuridica De Successione Ab Intestato, Et Obligationibus Ex Contractu


...

Stetini: Goetschius, [ca. 1650]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757120911>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





DISPUTATIO JURIDICA
DE
SUCCESSIONE
AB INTESTATO, ET OB-
LIGATIONIBUS EX CON-
TRACTU,


Quam
Deo Duce & Auspice
SUB PRÆSIDIO

VIRI
EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI
ET CONSULTISSIMI

DN. JOANNIS Sithman / J. U. D.
Profesoris in Regio Stetinenſi Pædagogio ce-
leberrimi, DN. PARENTIS mei ter
honorandi

publicè tuebor
CHRISTIANUS Sithman / Stet. Pom.
Autor & Respondens.

*Habebitur in Acroaterio Majori die 23. Mart.
horis ab 8. conſuetis.*



STETINI,
Typis GEORGLI GOETSCHII, Pæd. Reg. Pypogr.

VIRIS

*Magnificis, inclytis, Admodum Reverendo, Nobilissimis,
Amplissimis, Consultissimis.*

DN. THEODORO MEIERN,
Jcto, & CONSULI Primario Reipubl. Stralsunden-
sis, Hereditario Dn. in Sommerfeldt und Mucke/
Landesdörff und Lubbersdörff / Parrono & Co-
gnato meo summô honore honorando.

DN. CHRISTIANO Schwarzen /
J. U. D. ejusdem Reipublicæ CONSULI Gravis-
simo, Hereditario Dn. in Brandeshagen / Arendsee
und Schwarve / Cognato & Promotori meo per-
petim observando.

DN. PHILIPPO HENRICO FRIED-
LIBIO, SS. Theol. D. & Pastori Jacobæo Stralsun-
densi celeberrimo, Rev. Minister. Seniori & Consi-
storii ibidem Ecclesiastici Assessoris famigerabili,
Affini & propatri Patris loco ad amussim venerando.

DN. NICOLAO Hagemeistern / Jcto
& Reipublicæ Stralsundensis Senatori Spectabili,
Cognato, & propatri Patris loco summopere vene-
rando.

*Mecœnatibus, Patronis & Promoto-
ribus atatem Honorandis*

submitte inscribit & offert

CHRISTIANUS SITHMAN / Stet. Pom.

Autor & Respondens.

Q Uod precor ex animo *Cuius*, precor & tibi *filii*,
Sit tibi Pax: *Pietas*: *Virtus*. BENEDICTIO JOVÆ.
Faxit!

JOAN. Sithman/ D. Disput. Praeses.

Q Uo studio Themidos meletemata Amice secutus,
Quæ modo proponis discutienda, probant.
Aut non-testatus succedat, contrahat aut quis:
His quid prolixum Jus ferat, inde paret.
Scilicet ingenium ostentas ex asse Parentis!
Mens generosa refert quò Genitore satus!
Hinc Sithmanne Patris præclaram nominis auram
Consequier, si non exsuperare, vales.
Sed ne luxuriam nimum perdulcis Amice,
Neu planè sileam his; En! cape Dicta Tibi:
Pergit: sic celebris crescet laus ampla Parentis,
Sic crescent pariter lausq; decusq; tuam.

Sic laudabilibus Dni. Resp. Amici sui, tam ob pro-
priam virtutum modestiam, quàm Dni Parentis
benevolentiam, sibi conjunctissimi, l. m. q; et si
raucâ admodum accinebat fistulâ

C. C. B. F.

Ad doctissimum Dn. Resp. Fautorem
& amicum singularem.

Q Uomodo Contractus stringant; successio quidnam
Conferat, è cathedra, nã, docuisse juvat.
Perge ita, succedes patriis virtutibus olim,
Progenies, tanto digna Parente, clues.
gratulab. scrib.

JOHANNES HARDERUS, Curl.
CHRISTIANUS SIETMANNUS
transp.

ET HINC SIS MANANS VIRTUS.

C Trus Alexandro cessit, successit utriq;
Casar & Imperium Casaris Alter habet.
Climata decrepitum sentiscunt pondere Maturum.
Curvari & solito non vegetare Polos.
Hinc damnosa dies pejores usq; Nepotes
Exhibet & truncâ credita parte refert.

Hinc

*Vini Aenis est, Pater & Patre, filius illo
Pejer, Nos Soboles deteriorq; manet.
Verum non tali Sietmanne propagine natum
Te novi, Patrio namq; Uligore viges.
Succedit Virtus Virtuti, fortibus Heros,
Egregius Prolem nobilitate beat.
Hic preme Virtutis callem, praeunte Parente
Et manans virtus hinc docus usq; sis*

*Dn, Sietmanno, Parentis Egregii, Egregiae indolis filio,
de Successione & contractibus publicè disputanti
congratulatory ominando.*

DANIEL SIMONIS, Cöslinö-Pom.

Heredum species, celfo de ponte cathedra,
Hernis indiciis, COGNATE oculisime, doctis,
Perge, ut post longos lucrum vel fama labores
Jucundum efficiat. Nam si non ipsa daretur
Utilitas & honos, virtus artesq; perirent.

*Honoribus Praef. ac Lit. Dn. Respond. Excell. ac Clariss.
Dn, Praefidi Parentis emuli congratulatory*

JOACHIMUS SWARTZ, Stralsundensis.

Dum Themidos Tu sacra colis Legumq; per aquor
Digrederis, faustum quo Tibi currat iter,
Anfractus Syrtesq; cave; contingere portum
Præteritis scopulis si Tua cymba velit.


*Egregiis conatibus Doctiss. Dni. Respondentis pau-
culis hisce applaudere voluit, debuit*

Gustav. Axel. von Böhlen

En iterum Sittmannus ades, qui pulpita docta
Scandis, & egregiè jura severa refers.
Fortunet veneranda Themis: jurisq; tuendi
Sit tibi perpetuus, sit tibi sanctus amor.

*Paucis his Politissimi Dn. Autoris, Amici dilectissimè
conatibus applaudere voluit*

FRIDERICUS ANTONIUS, Stralsund.



DISPUTATIO
DE SUCCESSIONE AB INTESTATO, ET OBLI-
GATIONIBUS EX CONTRACTU.

I. **T**estamentariam successione sequitur *ab intestato* Successio, quam diu enim *illa* speratur, *hæc* quiescit, *quia* provisio *hæc* hominis tollit provisionem legis. Intestatus proprie est, qui habet testamenti factionem activam, *actu*. Improperie qui hanc habet *potentia*. Intestabilis est qui harum habet *neutrâ* & nedum *passivâ*. Successionis ab Intestato non *eadem* semper ratio fuit, neq; adhuc ferè est, propter *morum* ac *statutorum* varietatè, quæ uti singularia, eruditissimos sæpe fallunt. *Hæc* & *contractuum* materia peragitur in librò Institutionum III. cui ego pro meo ex data sorte penso *obedienter*, & devotè insisto.

II. Alia *antiquissimo* LXII. Tabul; Alia *noviori* Institutionum, Pandectarum, codicis; Alia *novissimo* Novell. 118. jure; Alia insuper ex variis locorum *statutis* & *observantiis* datur jam successionis ratio & modus. Convenit autè ab initio remotissima non intensius scrutari, sed quæ ob oculos versantur, & præsentia sunt ad utilitatè temperanter intueri; *Antiquitatis* siquidem *jucundissima* est *notitia*, non tamen *antiquitatis* *antiquata*, ab omni usu & fructu remota, in *hæc* etenim *castra* non *transiant* *juveniles* animi ut *transfuga*, sed *exploratores*.

III. De *antiquissimo* E. & *noviori* antiquatò hæc sunt *summatim*: Jure LL. XII. Tab. succedebant *sui* & *agnati*. *Cognati* admittebantur jure *noviori*, nec illò Pater filio succedebat jure *hereditario*, sed *peculii*, in quo habebat pater *jus Competentia*; Mater excludebatur, quia nec habebat *jus agnationis*, nec *potestatis* nec *familia*. *Suis* h. e. *Liberis primi gradus* exstantibus non succedebant *Nepotes*, illis deficientibus *nepotes* & *neptes* ex *masculis* præferebantur. Exclusis ergo parentibus *agnati* licet remotissimi at gradu distincti vocabantur *masculi* & *consanguineæ* *sorores*. Nec *Successorium edictum* locum habebat inter *agnatos*, sed proxima erat successio *Fisci*, *proximiori* *agnato* *recusante*. Alia insuper erat successio per *arrogationem*, *additionem bonorum*: *libertatum conservandarum causa*: per *bonorum venditiones*: *miserabilem* *successionem* ex *SC. Claudiano*. Quibus duris *successionibus* subinde *medelas* posuere, *Prætores*, *Justinianus* in *Institutionibus*, & *Codice*, *donec* *ultimam* *manum* *imponeret* *Novella* 118. quæ *Orbi Romano* *certum* *prescripsit* *succedendi* *modum*, nisi *statutis* *locorum* *speciale* *sit* *introducendum*, quæ *juri communi* in *isto* *loco* *preferuntur*.

IV. Jure hujus *Novellæ* sunt *tres* *successionum* *ordines*. 1. *Descendentium*. 2. *Ascendentium*. 3. *Collateralium*. Remansit tamen 1. ex *Jure Prætorio* *Successio conjugum*, 2. Ex *Jure LL. XII. Tab.* *Successio Fisci*.

C

V. Descend

V. *Descendentes seu liberi*, quos naturalis ratio & commune parentum votum ad successione primos vocat, ex justis nuptiis mense septimo (seu 182. die) octavo, si vivi prodeant, nono, decimo, undecimo mensis initio, non medio aut fine nati, utriusq; sexus, cujusvis ætatis, in potestate existentes, vel emancipati, non tamen monstri, primi gradus, succedunt utriq; parenti, patri & matri, tam ex testamento, quam ab intestato in allodialibus, ex æquis partibus in capita, Ulterioris gradus h. e. Nepotes vel neptes succedunt in stirpem per jus representationis, quod in his locum habet in infinitum.

VI. *Naturales seu Concubinarii liberi* in locis ubi concubinatus toleratur patri (non Avo aut proavo) succedunt, non extantibus liberis naturalibus & legitimis simul, & uxore legitimâ, tantum in sextantem s. duas uncias. Matri verò etiam illustri succedunt plenè, extantibus licet liberis & legitimis simul, primè vel ulterioris gradus. Patri minimè illis extantibus. Spurii non succedunt Patri, quem certum habere non intelliguntur, sed matri, non tamen illustri. Legitimi tantum s. Adoptivi Ascendentium alicui adoptanti, non extraneò succedunt. Incestuosi Adulterini & ex damnatò coitu nati liberi neutri Parentum succedunt & denegantur illis de jure civili alimenta, quæ tamen de jure Canonico eis in forò Ecclesiæ & imperii ex æquitate præbentur. Nec est Liberorum Spiritualium in Propatrum suorum bonis successio.

VII. Legitimati per subsequens matrimonium licet in articulo mortis contractum, justis planè adæquantur. Per rescriptum Principis legitimati non succedunt, nisi justis deficientibus.

VIII. *Ascendentes, ordine mortalitatis turbatò ratio miserationis ad bona liberorum vocat.* Parentes utriusq; sexus naturales & legitimi simul, primè gradus h. e. pater & mater æqualiter succedunt, ulterioris gradus h. e. Avus, Proavus succedunt secundum gradus prærogativam, jure representationis inter Ascendentes non admisso. Hi ulterioris gradus si sint diverse lineæ & disparis numeri successio fit in duos semisses, unum capiunt Paterni, alterum Materni, quotquot ab alterutra parte fuerint, non attentò, bona nū ex linea Paternâ vel maternâ profluxerint.

IX. *De jure civile pater vel mater succedit cum filii & filia defuncti fratre aut sorore in capita s. Rindstheil nisi huic ex pacto renunciaverint, horum liberi in stirpem.* Jure vero Saxonico excluduntur hi à parentibus und fällt das Erbe jurisch in den Busen. Concurrentes fratres aut sorores ex alterò tantum latere defunctò conjuncti excluduntur à parentibus.

X. *Mater ad secunda vota convolans liberis primè matrimonii tutores vel Curatores intra tempus à lege vel statuto præfinitum non petens, facit se liberorum suorum sine prole decedentium hereditate indignam.* Reliqui Ascendentes

tot ge-

tot generum sunt, quot liberi & correlativam faciunt inter se invicem successione.

XI. *Collaterales seu Transversales sunt fratres: Agnati: Cognati. Fratres sunt Germani, Consanguinei, Uterini.*

XII. *Fratres & sorores Germani defuncto succedunt in capita, horum liberi in stirpem. Ad nepotes aut fratrum vel sororum liberos representatio non tendit, & notandum, quod in nepotis ex fratre, vel sorore Germano successione, non excludant fratres & sorores Germani consanguineos vel uterinos, sed omnes simul succedunt, sunt enim omnes gradu pares, ipse vero Nepos Germanus non succedit unius lateris fratribus aut sororibus extantibus tantum uno gradu proximioribus. His vero non extantibus succedit jure proprio ut agnatus, ex gradus prerogativa.*

XIII. *Soli Germani fratrum liberi & in suo ordine consanguinei & uterini succedunt in capita. Concurrentes vero consanguinei fratres cum uterinis vel eorum liberis preferuntur Consanguinei in bonis paternis, uterini in maternis, in reliquis, si quæ extant, succedunt æqualiter. Ultra hunc fratrum ordinem succedunt reliqui agnati & cognati, inter quos in allodialibus nulla est differentia in infinitum, quod de jure vetius, donec gradus prerogativa probari potest, aliis gradum 10. si probetur, Dd. determinant, quo, vel inferiori non probato, succedit de jure civili Fiscus.*

XIV. *Prætor autem fisco præfert conjuges, si superstes petat intra 100. dies bonorum possessionem Unde vir & uxor. Alias unus casus est juris civilis in matrimonio sine dote, defuncto divite & superste inope, ut hic cum liberis tribus vel paucioribus succedat in quartam, cum pluribus in semissem. Eadem ratio est, si concurrant eodidem cognati: Hac autem succedendi ratio nulla est, ubi alia habetur statutorum vel pactorum dotalium dispositio, quæ per totam Germaniam & extra sunt observanda pro amussi ac normâ.*

XV. *Hinc conjunx, quod alterutri conjugi ex statuto aut pacto dotali debetur, non potest alter per testamentum ei auferre, & si alteruter in fraudem hoc alienet, potest superstes illud licite revocare. Non E. ex lineâ rectâ aut transversali neq; ex statuto relicta successione, succedit demum & ultimo Fiscus cum lucro & onere, ac licet inventarium non confecerit, non tamen tenetur ultra vires hereditatis. Excluditur tamen fiscus in quibusdam casibus à non cognatis, quandoq; ille hos excludit, qui verè cognati sunt, attamen incapaces vel indigni.*

XVI. *Sequuntur obligationes, quæ non pertinent ad jus personarum, sed verè refutatâ diu Valteji, Boceri, ac asseclarum traditione, nec ad Actiones pertinere verius est.*

XVII. *Obligatio est juris vinculum, quo quis ad aliquid solvendum vel præstan-*

*dum adstringitur. Est vel Naturalis vel Civilis. Mixtam reprobamus, Illa est vel
dati beneficii, vel promissionis, quæ licet civilem actionem non pariant,
multos tamen habent civiles effectus: Pactum etiam nudum, neq; de jure cano-
nico civilem posse gignere actionem verius multi censent, diffidendum autē
minimè, stipulationes hodie naturam pactorum induisse, formulis earum sublatis.*

XVIII. *Civilis vel in specie sic, à Jure Civili dicta, vel prætoria à solis
Præteritis adinventæ, est, vel ex contractu vel quasi, delicto vel quasi. Arist. 5.
Eth. c. 2. statuit, contractus in voluntarios vel involuntarios, & invitos, qui (vo-
luntariis exceptis) in foro & à Jctis non agnoscuntur pro contractibus sed delictis:
Contractus est conventio inter duos vel plures ad aliquid dandum vel præstandum
ad producendam actionem civilem efficax. Differt E. contractus à pacto nudo,
quod jure civili actionem non parit, & à pacto legitimo, quod non per se, sed
vi legis eam gignit.*

XIX. *Contractus est vel verus, s. nominatus, qui habet sibi speciale à jure ci-
vili nomen attributum, vel incertus s. innominatus, qui tali nomine circum-
scripto indiget, & aliis convenit. Nominati contractus referuntur in thes. 20.
Innominati sunt quatuor; do ut des: facio ut des: do ut facias: facio ut facias. Ad
has species quodvis ferè negotium accommodari non impossibile est. Nomi-
natorum tale nomen est, quod aliis accommodari nequit, & absolutum est.
Actio in nominata dicitur est matoria ex permutatione, præscriptis verbis. Vid.
Charis. Dn. Parent. Nucl. Pandectarum pag. 468. ad 474.*

XX. *Potissimam inter hos contractus perhibent differentiam, quod in no-
minatis re integrâ non sit locus penitentiæ; In innominatis vero detur, etiam re non
integra, qui à sua parte cōtractū adimplevit, resilire potest, alterò licet invito,
qui nondum adimplevit. Sed hoc non dico perpetuum, quod discursus monstrabit.*

XXI. *Sunt & Contractus ab una parte s. latere obligatorii v. c. mutuum, sti-
pulatio, vel ab utroq;. Illos nonnulli injustè appellant improprios, quales Spon-
salia & Nuptiæ rectius dicuntur. Hos dicunt proprios, quasi *μὴ ὀφείλονται*, neq; pro-
prij, veri & nominati civiles sint contractus. Ex hisce nascuntur contractus
bonæ fidei & stricti juris. Illorum sunt 17. qui omnes recensentur in §. 28. de
Action. Nec ideo dicuntur quasi sint reliqui malæ fidei, sed quod ille tam amplè
sint natura, ut judex ex bono & æquo his quid addere possit, licet inter partes non
sit de eo actura expressè. In hisce autem judex adstrictus sit, ad id quod inter par-
tes expressè est conventum. Quæ differentia bonæ fidei & stricti juris con-
tractus jure Canonico non expressè est sublata. Sunt autem omnes contractus
stricti juris, qui sub 17. b. fidei non continentur.*

XXII. *Præterea omnes contractus veri, proprii & nominati vel Re: Ver-
bis: Li-*

bis: Literis: aut Consensu perficiuntur. Re existunt: mutuum: Commodatum: depositum: pignus.

XXIII. Sunt autem in prædictis contractibus præstanda *dolus, lata, levis,* aut *levissima culpa,* quandoq; & *casus fortuitus,* de quâ re hæc Regulæ notandæ.

XXIV. (1.) In omnibus Contractibus, qui solius dantis gratiâ suscipiuntur, præstandus est *dolus, lata, levis & levissima culpa.* (2.) Qui solius accipientis gratiâ fiunt, præstandus est *dolus, lata, levis & levissima culpa.* (3.) Qui utriusq; contrahentis gratiâ contrahuntur, præstandus est *dolus, culpa lata & levis.* (4.) In omnibus contractibus bonæ fidei *dolus & lata culpa* (quæ in contractibus, non vero in delictis capitalibus dolo comparatur) præstatur h. e. resarcitur. (5.) In nullo b. fidei contractu *casus fortuitus* præstatur, nisi quis eum sponte in sese receperit, vel causam ei dederit culpâ vel morâ.

XXV. Est *dolus sc. malus* omnis calliditas, fallacia, aut machinatio ad aliû fallendum & damnificandum malitiosè adhibita. *Culpa lata* summa & supina negligentia in re alienâ admissa. *Culpa levis* est mediocris negligentia in re alienâ commissa. *Culpa levissima* habetur pro minima negligentia rei alienæ. *Casus fortuitus* supra hominem est, cui nulla capacitas aut sagacitas humana remediari potest. ut v. c. *Tonitrua; fulgura; terræ motus; prædationes bellicæ; imbres noxiæ; incendia cælestia; sterilitas agrorum.* Tum & contractuum quædam sunt *substantialia, naturalia, solennia, accidentalia.* Nunc his præcognitis speciatim progredimur ad contractus.

XXVI. *Mutuum* est contractus nominatus re initus, quo res nostri dominii, pondere, numero & mensura constans scienter datur, ut perveniat in dominium accipientis, non tamen in individuo, sed ejusdem bonitatis restituatur. Requisita *substantialia* sunt (1.) ut res in functione sua usu consumatur. (2.) pondere, numero & mensurâ in functione suâ constet. (3.) ut transeat in dominium accipientis mutuatarii. (4.) ut quatenus consumpta est, non in individuo restituatur, sed genere ejusdem bonitatis. Præstat ergo *Mutuatarius casum fortuitum, quia factus est rei mutuatae dominus, & res suo domino perit. Quod speciale est in mutuatario.* Præstat etiam *hic casum insolitum.*

XXVII. *Promutuum* s. *indebitum* est, cum quis solvit, ad quod nullo jure naturali vel civili solvendum obligatus fuit, ideò competit solventi *condictio indebiti, h. e. repetitio.*

XXVIII. *Commodatum* est contractus re initus, quo rem nostram usu non consumptibilem in illum finem commodamus, ut eo finito non deteriorata in individuo tempestivè restituatur. Requisita *substantialia* sunt (1.) ut habeat *comodatarius rei comodatae solû usum.* (2.) *Res usu non consumatur.* (3.) In individuo tempestivè non deteriorata restituatur. (4.) *Us utatur comodatarij gratuitò.* Præstat *comodatarius*

rius dolum & omnem culpam, quia contractus in gratiam suscipientis, commodatarii (ut plurimum solet) susceptus est, non autem tenetur ad casum fortuitum, nisi eum in sese receperit, vel casui causam dederat.

XXIX. Depositum est contractus nominatus re initus, quo rem nostram apud amicum gratis deponimus, quovis tempore lubito repetendam. Substantialia sunt requisita (1.) ut rei nostrae non tradatur dominium, neq. usus, sed custodia. (2.) ut haec tradatur gratis. (3.) ut pro lubitu repetatur. Praestat autem depositarius dolum & culpam latam, quia solius dantis h. e. deponentis commodum hic versatur. Minus praestat casum fortuitum, si eum in se non receperit, vel causam ei dederit.

XXX. Pignus est Contractus re initus, quo debitor dat rem suam pignoris loco Creditori, loco assecurationis pecuniae ab eo mutuo acceptae, ut restitutione facta statim restituatur. Substantialia requisita sunt, (1.) ut debitor tradat creditori rei suae non dominium, neq. usum sed tantum loco securitatis pecunia Credita. (2.) ut facta restitutione, prout conventum erat, reddatur pignus.

XXXI. Praestat autem Creditor dolum latam & levem culpam, quia pignus datum est in utriusq. consubstantis gratiam. Debitorum ut à creditore citius accipiat pecuniam; Creditoris ut sibi magis sit cautum in re, quam Personam. Non E, tenetur ad casum fortuitum qui enim non obligatur ad culpam levissimam, qui obligari poterit ad casum fortuitum, si hunc in se non receperit, vel causam casui dederit. Exusu E. pignoris vel hypothecae vel alio casu interemptio, debitor non liberatur, nisi realiter solvat, quod liquidè debet. Dictum de obligationibus quae Re contrahuntur.

XXXII. Verbis contrahitur obligatio per stipulationem & promissionem, unde mutua solennis nascebatur verborum obligatio formulis, usum receptis quibus autem diu remotis, stipulationes hodie pactorum receperunt naturam, ex quibus jure canonico & moribus modernis nascitur obligatio & actio. Misit ergo formulis retineamus regulas.

XXXIII. Quod debetur pure, statim peti potest, sed cum temperamento temporis, non enim ilico venire debet debitor, ad delicatulum Creditorem cum sacco paratus. Quod debetur in diem, ante diem recte potest solvi (dies enim regulariter est pro debitor) etiam Creditori invito, si debitor in loco iudicii numeret, obsignet & deponat pecuniam debitam, non autem creditor potest ante diem petere. Quod debetur sub conditione, non petitur nisi conditione adimpleta. Totus dies arbitrio solventis tribuitur.

XXXIV. Condicio negativa trahitur ad tempus mortis. Locus praesupponit tantum temporis, quo ad locum perveniri potest. Ex reis debendi quisq. tenetur in solidum, praesertim cum alter non est solvendo, vel abest. Quae non sunt in commercio, aut natura, actu vel potentia, non cadunt in contractum. Errantes in substantialibus non contrahunt. Muti & surdi nutu contrahunt. Impossibile & rei turpis, nulla est obligatio; Qui hoc anno, die ac mense dari stipulatus est, nisi tota die, partibus omnibus totius mensis praeteritis, recte petere non potest.

XXXV. Fidejussio est Contractus nominatus stricti juris, quo quis se pro alio solutorum firmiter obligat, debitore Principali nihileminus manente obligato. Fidejussor potest in contractibus omnibus civilibus & criminalibus capitalibus, non quidem ad sustinendam poenam corporalem, sed pecuniariam, si reus aufugiat, obligari, Actio autem pro dote conservanda

evandā non recipit fidejussorem. Fidejussio afficit heredem. Habet autem fidejussor tria beneficia. 1. *Ordinis*, ne prius excutatur, quam principalis debitor, quò non juvatur, qui se ut *principalem* als einen selbstschuldener obligiret. 2. *Divisionis*, ut dividatur inter fidejussores, qui sunt solvendo, debitum. 3. *Cedendarum actionum*, ut habeat fidejussor solvens contra fidejussorem actionem.

XXXVI. Fidejussor potest quidem *arctius* se obligare, quam debitor principalis, sed non in *majoram*, aut *duriorem summam* aut debitum.

XXXVII. *Literarum obligatio* est *contractus*, quò quis in *Chirographo* fatetur se à *Tertio* mutuo accepisse v. c. centum aureos, quos tamen non accepit. Huic consulendum, ut intra *biennium* opponat *exceptionem non numerata pecunia*, & condicat *chirographum*, alias scriptura militat contra scriptorem, & amplius ultra hoc tempus *regulariter* non auditur.

XXXVIII. *Consensu* sunt IV. *Contractus*; 1. *Emptio*, *Venditio*: 2. *Locatio conductio* & 3. *Societas*: 4. *Mandatum*: In hisce consensus facit *perfectiorem*, reliqua, res, verba, *litera*, *consummationem*. *Emptio & Venditio* est *contractus consensualis de re in commercio existente*, certò pretiò (non unò nummò) *habenda*. Perficitur vel *scriptura*, h. e. cum nihil ad scribendum restet, vel *sine scriptura* h. e. dummodo circa rem & pretium *consensum* est. *Requisita substantialia* sunt *consensus*, *res & pretium*, horum *principale* est *consensus*. (*Dissensus enim praesertim in materia, substantia & contractus genere contractum vitiat*) *Res* debet esse in *commerciò humano*: *Pretium* consistere debet in *nummis* s. *pecunià*, nisi ante *consummationem* aliter *conveniat*. Potest etiam à *Tertio* quodam *determinari*, dummodo in hoc *consentiant* *contrahentes*: *Contractu* ita *perfectò omne periculum spectat ad emptorem*, licet *res* non sit *tradita*, incumbit autem *venditori* *evadendi necessitas*. Si ante *perfectiorem* *paenitet Emptorem*, perdit *arrham*, quam dedit, *Venditor* reddit *duplicatas*. *Perfectum contractum* rescindit *ultra dimidium justii pretii laeso* quod *beneficium* l. 2. c. *habet locum in aliis etiam contractibus* b. f. sed non in *transactionibus*. Praestat *venditor dolum, latam & levem culpam*, quia *contractus* fit in *utroque* *contrahentis commodum*. *Naturaliter* huic *contractui* inest *Evictio*.

XXXIX. *Locatio & Conductio* est *contractus consensualis de re in commercio posita certà mercede faciendā vel fruendā*. Est *Modus Contractus*. *Requisita substantialia* sunt: *Consensus*, *res, merces*. Differt à *priori* tantum, quā *mercedem* neq; tamen *regulariter* consistit in *numera pecuniā*, ac *pretium* in *Emptione & Venditione*. Praestare tenetur *conductor* *locatori dolum, latam & levem culpam*, per eandem *rationem*, quia *contractus* hic fit in *utroque* *contrahentis gratiam*, ut *Emptio & Venditio*. Non *E.* tenetur de *casu fortuito* s. c. *insendiò* nisi hoc *factum* sit vel ab *ipso conductore*, vel *ejus ministro* circa *ignis curam* *destinato*. Si *moriatur conductor* ante *tempus conductionis finitum*, *continuant* *habitationem* *heredes*, nec potest eum *regulariter* *locator* *expellere* l. *de C. locat. conducti*, si sit *finitum*, *integrum* est *locatori*, an *pluris* vel *minoris* velit *locare ad eas suas*, & *priorem conductionem* *diutius* *tolerare* vel non.

XL. *Societas* est *contractus consensualis de rebus communi commodo aut periculo honesta conventionione communicandis*, seu *universalis* seu *particularis* *ineatur societas*. *Requisita substantialia* sunt. *Honesti pacta ac conventioniones* in *societatem deducta* *communicationis*, quae *dant legem contractui*. Praestare autem tenetur *socius* *socio dolum latam & levem culpam*, per *eiusdem regulam* *rationem*, quia *contractus* fit in *singulorum sociorum commodum*. *Socius* autem in *specie de dolo convictus* fit *infamis*.

XLI. *Solvitur* autem *societas* 1. *revocatione* *necessariā*, non *fraudentā* aut *intempestivā*.

peñivā. 2. Morte socii, quia industria personae electa est. 3. Tempore finitō. 4. P^o
obligationem bonorum in societatem collatorum. 5. Cessione bonorum.

XLII. Mandatum est contractus consensualis, quō alicui negotium gratis expediendum committitur & suscipitur. Mandatum 5. modis committitur; 1. Mandantis gratia. 2. Mandantis & mandatarii. 3. Alieni tantum. 4. Alieni & mandantis. 5. Alieni & mandatarii. Mandatarii solius causa mandatum non est, sed consilium, quōd non nisi fraudulenter est obligatorium. Requiruntur substantialia sunt. 1. Ut fiat gratuitum, non tamen excludit remunerationem. 2. Ne fines mandati ultra quis egrediatur. 3. Ut sit bonum, non contra bonos mores. Mandatum potest esse generale vel specia. ad negotia, vel ad litem, vel cum libera. Extinguitur mandatum 1. morte utriusque; re integrā. 2. Negotio finitō. 3. Revocatione re adhuc integrā. Praestat autem mandatarius dolum, latam, levem & levissimam culpam, imputet namque sibi, quare mandatum in se suscepit, quod ab initio potuit recusare.


XLIII. Quasi contractus sint quibus; (I.) Negotiorum gestio, quā amicus amici absentis causam b. fide agit, quia autem hanc spontē in se recepit, tenetur secundum communem Dd. opin. ad dolum, latam, levem & levissimam culpam praestandam, quod tamen simpliciter non approbo. (II) Tutela administratio. Tenetur Tutor vel Curator pupillo vel minori 1. ad rationem reddendam, quae Actio non infamat. Nonnunquam 2. de distrabendis rationibus. 3. ob suspecti crimen, ex quibus duobus convictus sit infamis. (III.) Rci communio, ex quā tenetur condominus condomino, heres heredi, de dolo culpa lata & levi. (IV.) Hereditatis aditio. Heres propter additionem tenetur ad solvendum creditoribus onerosis & legatariis defuncti. Illis autem non solvit nisi ex bonis defuncti, si fecerit inventariū vel æquipollens. Speciale autē est circa legatarios, his enim solvit tantū de bonis defuncti, licet inventariū non fecerit, quod demonstrabit discursus. (V.) Solutio indebiti. Qui enim per errorem solvit, cui nihil debet, obligat hunc ad restitutionem.

XLIV. Acquiritur obligatio nobis per nosmetipsos per liberos nostros ex peculio profectio totum, ex adventitio, usus fructus. Ex castrensi vel quasi castrensi nihil, per servos ac alios, quos textus memorat. hodie acquisitio a servis nulla est.


XLV. Tandem etiam tollitur obligatio 1. Solutione, quae, ut legitime facta dicatur, requiritur, ut fiat, si quis debitor, vel alius, ejusque nomine aut fidejussor solvat 1. secundum modum conventum. 2. Justo tempore. 3. Justo loco. II. Acceptilatione seu imaginaria solutione, seu debiti tacita remissione. Hæc simplex dicebatur olim ex solā verborum obligatione: Aquiliana hodie dicitur, cum ex quovis contractu debitum a creditore habetur acceptum, vel similiter remissum. III. Novatione, quae duplex vel simplex novatio, quando eodem manente debito & creditore obligatio mutatur, aut alteratur, de quo expressè debet constare, alias novatio hodie facta non intelligitur. Vel Delegatio, quando eadem manente obligatione debitor, qui se dicit non solvendo, alium sui loco substituit debitorem, quem ipse creditor approbat, in eumque consentit, intelligitur a primō debitore liberatō facta solutio. Rem ergo amplius habet creditor cum debitore hōc novō suō consensu sibi substituto, primō prorsus liberatō, delegatione purē factā. IV. Contrariō consensu. Hōc, tolluntur tantum Consensuales contractus, non alii.


F I N I S.


Lib. 3.











VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI. Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferior minor, aut media, venatio data est, a nostro uenando se abstinere debet in locis, ubi ferae maioribus. Is autem, qui duntaxat superiori, siue maioribus venatione, tali, vice versa, uti nequit in locis inferioribus, aut mediae, subsistunt. Ratio assequius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmodi venationem disturbantur, et in aliena loca extra banerium transfugiunt (b). Non debet autem alteri per

eorum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-tem id quoque non facile permittitur, ut, praedio, cui venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in locum unius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea plures substituatur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maij. 4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio exantur, sunt Confessoria et Negatoria utilis.

Audiamus ante, quam ulterius progredimur, ipsosmet uerba, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener
H. Schwarzbürgischer Ober-Jörster hiermit auf Begehren,
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn
nehm.